



SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

<https://www.facebook.com/groups/latinasodalitas/>
joannescarolusrossi@fastwebnet.it
luca.gandolfi1@studenti.unimi.it

**Ordo rerum
in annos MMXIV et MMXV
a sodalibus latinis
in Venerandis Aedibus Ambrosianis
agendarum**

Ante diem xv Kalendas Januarias

Hora V et quadrante in atrium Aedium Ambrosianarum, juxta aream a Pio XI, confluemus, unde, dato custodibus nomine, ad primum tabulatum conscendemus Magdalenae imagines a duobus artificibus pictas visum.

Hora VI regredimur ad fores juxta viam a Friderico cardinali, tum in Sacratio Magno, seu Equitum Aula, r.d. Fridericum Gallo Musei fridericiani locos explanabit, quibus duo Magdalenae imagines, altera a Titiano, altera a Luinio picta, “quae inter se pugnant”, comparantur.

Sodales his locis adhibitis exercentur juxta artis rhetoricae praecepta: per synonymiam, paraphrasim, ampliacionem, compendium, syntaxeos demutationem, variationes, cetera.

Tabulae de Magdalena in Musaeo asservatae

Depositus e cruce Salvator

Titianus pinxit



In eadem aula cernitur aliud Titiani opus, Tumulus nempe Salvatoris sive depositus e cruce Salvator. Consummatae artis cernitur Christi pectus emortua carne provocante naturam ipsam. Magdalena adest summum exprimens animi dolorem et amore consumpta, vivacissimo interim spiritu; quae omnia ut exprimeret artifex, integra juventa florentem fecit, evangelicam historiae veritatem interea fortasse transgressus. In ea tabula Nicodemus laudatur negligentia, quae senem deceat. Sanctus Joannes cum Magdalena certare videtur affectu. Hae duo figurae, quum omnem maestitiae imaginem consumpsissent, difficile opus restabat, ut Sanctissimae Virginis dolor digne ostenderetur. Ideo Titianus veterem illum excellentissimumque pictorem dissimili invento imitatus, Deiparam fecit inter mortui filii brachia osculo haerentem tenebrisque circumfusam. Ita plus ostendit quam pinxit protulitque ea, quae occultavit.

(locus e Federici Borromaei *Musaeo* decerptus)

Componunt in tumulo peremptum Servatorem Iosephus Arimathaeensis et Nicodemus, ac Magdalena solutis crinibus et redundante fletu accurrit ad funus. Contra spectare Ioannes numinis exequias atque insertis mutuo utriusque manus articulis parentare mortuo. Virgo autem genitrix prona in tumulum artus sobolis venerari. Superne discedunt nubes, unde maxima vis


luminis intermicat (quamquam lumina omnia in occasu numinis interierint). Accedit ejusdem artificis penicillo descripta regio, tanta pingendi incuria, ut exornasse artem videatur, cum neglexit. Res quidem singularis: nam tractus regionum a Titiano pictos vix alibi invenies. Decurrit praeceps summis montibus torrens alveumque totum definiunt praerupae cautes atque abscissae, jugi supercilio altae, quae casam ferunt securi pecoris hospitium.

(locus e Petri Pauli Boschae *De origine et statu Bibliothecae Ambrosianae hemidecade* decerptus)

Commentariolum - Pictura in textili pigmentis oleo temperatis saeta inducta, alta CLXXX centimetra, lata CCVIII. Tabulam Federicus sibi comparavit inde ab anno septimo saeculi decimi septimi, eam adjudicans Titiano; re vera descripta est et concinnata ab ejus discipulis, quos inter quidam manum Palmae junioris agnoscunt; Titiani vero archetypum Matriti in museo Pratensi asservatur.

Maria Magdalena

Titianus pinxit



Neque ceterae tabulae, quae ibi conspiciuntur, relinquunt aliquem dubitandi locum, a quorum nempe manu factae sint. Titiani namque sunt et insignis praecipue illa Magdalena, cujus tot exempla exstant fuso per corpus capillo. In qua sane tabula illud summopere admirari oportet, quod artifex illa in ea nuditate potuerit simul honestatem conservare.

(locus e Federici Borromaei *Musaeo* decerptus)

Magdalena, quam maximopere extulit Vasarius [...] spectat [...] siccis oculis caelum ac, fluentibus licentius per lacertos atque humeros comis, nuditatem emaciati corporis tegit. Dianam putaret Acteon, si ora et sinum lacrimarum fonte perfunderet.

[...] Adeo [Federicus] se largitate vinci nunquam est passus, dedignatus compendium omne, quod avaritia proponeret. Fertur, cum Praefectus quidam Mediolanensis Provinciae mille aureos obtulisset Borromaeo, redempturus tabulam, in qua Titianus pinxerat Magdalenam, respondisse Cardinalis se aureos bis mille erogaturum libentissime, si parem tabulam venalem Praefectus habuisset.

(locus e Petri Pauli Boschae *De origine et statu Bibliothecae Ambrosianae hemidecade* decerptus)

Commentariolum - Pictura in textili pigmentis oleo temperatis saeta inducta, alta CXVI, lata LXXIV centimetra,. Hoc opus, quod Titiano adscriperat Federicus, nunc discipulis ejus a peritis adjudicatur, qui exemplar autographum Florentiae asservatum in aedibus Pittiis sunt imitati.

Noli me tangere

Lovinus pinxit



De priore Magdalena, quam Titianus fecit, jam dictum est. Alteram hanc fecit Luinus Senior, sed Leonardi penicillum praefert, a quo fortasse Luinus lineamenta descriptionemque sumpsit; existimantque periti nihil in tota arte fere hodie reperiri pulchrius, quoad scilicet capite uno consumi ars potest. Tantum vitae spiritusque inest capiti huic, ut Titiani Magdalena, apposita huic, exangüe quiddam, nec femina, sed feminae effigies videatur. Minime actiosa facies est, sed cuncta tamen peragit, intuentem adspectans aperiensque vasculum, aptissimum unguendo Salvatoris corpori. Et Magdalенаe quidem ita inter se pugnant.

(locus e Federici Borromaei *Musaeo* decerptus)

Vicit Illyricum pictorem Bernardinus Lovinus Mediolanensis, et quamquam plures tabulas huc intulerit, et Ioannis agno blandientis, et Hieronymi nudata pectora cedentis silice, (quamquam hanc iconem a Caesare Sextio pictam plures affirmant) tum Servatoris salutari signo lustrantis orbem et Magdalенаe ante Christum procumbentis, qui se illi sub olitoris specie obtulerat; duae tamen tabulae ipsum prope Lovinum vicerunt. Gestiuunt Virgo numinis parens et Elisabetha, dum ludit cum Ioanne parvo Divinus infans; mira certe suavitas Virginei oris et senilis maiestas Elisabethae, ac labia ipsa loquenti similia, tum utriusque infantis membra, mollia ferme ac vivida, singularem pingendi artem ostendunt. Magdalena vero eisdem Lovini convertit in se venientium oculos; nam vultus elegantia, frons exporrecta, flagrantis oculi, crines certantes auro spectatorem tenent.

(locus e Petri Pauli Boschae *De origine et statu Bibliothecae Ambrosianae hemidecade* decerptus)

Commentariolum - Pictura in textili pigmentis oleo temperatis saeta inducta, alta CXV et semis, lata CXI et semis centimetra.

Narratio Evangelii - Una autem sabbati Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebrae essent ad monumentum et videt lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo et venit ad Simonem Petrum et

ad alium discipulum quem amabat Iesus, et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul et ille alius discipulus praecurrit citius Petro et venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, videt posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum et introivit in monumentum et vidit linteamina posita et sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, et vidit et credidit: nondum enim sciebant scripturam quia oportet eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semet ipsos discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Dicit ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum et nescio ubi posuerunt eum. Haec cum dixisset, conversa est retrorsum et videt Iesum stantem et non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quem quaeris? Illa existimans quia hortulanus esset dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum et ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur magister). Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum et Deum meum et Deum vestrum. Venit Maria Magdalene adnuntians discipulis: quia vidi Dominum et haec dixit mihi.

(Joannes, XX, 1-18)